

rum Apocalypticorum Animam Dei amantem doceat, sed avulsa sunt prima fortasse duo aut tria folia. *Summaria* excipit Praefatio: *Sanctus Johannes evangelista der such in dem püch der taugen* (editio *Sorgii* 1480. errore librarii ex *taugen*, quod *Mysteria* s. Apocalypsin notat, *Künigen* fecit) *In dem Hymel sitzen den Herren Hymelreichs vnd erdreichs — vnd stunden vor Im vier vnd czwainczigk alten in weis chlaidet &c.* Vides, quid Titulo libri caussam dederit. Sub finem Praef. rogantur Lectores: *Das sy aines diemütigens Brueders Otten von Passaw Sand Francziscen ordens gedenccken in irer andacht Der diez puech mit grossem fleifs vnd arbaitt ze sammen gefueget hat.* Praefatio, ut in edit. *suprac.* legitur, plura hic supplet; addit enim: *willent* (weiland) *lese mayster* (lector) *czu Basel, der dis buch — volbracht hat an der heiligen bimel fürstin abent Marien der liechtmessen Des jares do man zalte von Ihesu christi gepurt. M.CCC.LXXXVI. jare.* Opus porro ipsum sic inscribitur: *Hye hebt sich an der erst alte des puechs genant dy XXIIII alten oder von dem guldein Throne.* Et incipit: *Der erst alt weist dich liebe sel auff dich selber &c.* Elocutio passim ab editis variat, quae ex. caussa pro *liebe*, *liebende* semper habent *minnende*, *gemynnete* &c. Ultima sunt: *Das dir der thron werde in der Hochsten Womungen Amen.* Et additur: *Gedankcht Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

sey got Das diez puech volbracht ist Anno &c. 63. Sabbatho die ante Letare. Cultum superstitiosum Seniorum Apocalypticorum invaluisse per Germaniam notavimus ad Cod. DCVI. Quid si Autor noster isthoc suo Opere innocenter huic cultui ansam prae buisset, hominibus crudis et simplicibus ea ad literam exigentibus, quae ille ἀλλυγοσουμενα scripsit?

II. fol. 151. Exegesis germanica in *Passionem* D. N. J. C. quae inscribitur: *Hye hebt sich an ein gar hupscher vnd andachtiger passion von dem leiden christi ihesu in illud Gen. XXII. Extenditque manum suam &c.* Das puech der geschoppung am XXII. capitel sprichtt also. *Er rackcht aus sein Hannt vnd zukcht aus das swert das er ophert seinen sunen &c.* Deficit jam in expositione textus: *Veruntamen vae illi homini per quem tradetur.* Luc. c. 22.

DLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 283 XV. Folior. 329. f. per duas columnas a diversis exaratus, rubricisque distinctus, hanc notam praefert: *Hunc librum liberali donatione dedit pro libraria domus Collegij ducalis Clarissimus simulque doctissimus vir magister Rupertus Weissenburger ex pruck (ad fl. Leitam) In sacra Theologia professor fundatissimus preterea ecclesie sancti stephani wienne canonicus predignus, cuius anima*
P p p deo

deo eternum uiuat feliciter. Rectoris Academici munere functum hunc virum ad an. 1469. Facti produnt. Opuscula porro in Tomum hunc recepta haec sunt: I. *Incipit prologus in tractatum de Spirituali vita anime Magistri Johannis Gerson Cancellarij Parisiensis.* Initium Tractatus: *Ego vos baptizauit &c. Antiqua iam atque nouissima Patrum traditione &c.* Finis: *ita et finem huius operis dedicamus.* Extat in edit. *Opp. Dupinio tributa Antwerp. sive Amstelod. T. III. p. 1. f. et cum fecuturis Gersonis aliis multoties in variis Bibl. Aug. Codicibus, quod semel monuisse sufficiat, et ad Indicem ablegasse.*

II. *fol. 47. praemissa Tabula Incipit liber primus hystorie quadripartite.* Historia haec IV. Libris constans *Apologos Morales* ad vitam informandam continet. *Apologus I. sive Dialogus inter Vulpem et Coruum* inscribitur: *Semper disce et in extremis horis sapientie magis operam adhibe.* Incipit: *Uulpes decrepita cupidine ardens sciendi &c.* Ultimus L. IV. *Prouerbum contra eos qui coitu vtuntur ad delectationem, incipit: Libidinosam passerem immoderato coitu se effundentem &c.* et finit: *Hys dictis quieuit.* Apologos hos S. cuidam Cyrillo tributos e *Cod. membraneo, qui e Bibliotheca Coruiniana ad Job. Fabrum Episcopum Vienn. devenerat, splendido eo, sed vitiose exarato edidit apud nos Balth. Corderius e S. J. anno 1630. in forma 12. ratus eos e Graeco converfos,*

et eatenus nondum in publicum elatos fuisse. Sed in utroque deceptus fuit vir doctus; nam junioris utroque Cyrillo et latini hominis foetum esse agnovere post *Corn. a Lapide in Ecclesiasticum p. 23. Caveus, Oudinus, Fabricius, alii, et prelo jam Sec. XV. f. 1. et a. f. et 4. tum anno 1502 Parisiis apud Joan. Parvum in 8. sub titulo Speculi Sapientiae* subjecti fuere. Quid, quod *Bibliotheca Gesneri* testatur, eos ante centum annos impressos, et in *Germanicum* etiam sermonem converfos publice extare. Et re ipsa rhythmis vernaculis inclusi a *Dan. Holzmanno* habentur *Aug. Vind. 1571. 4.* Itaque, quod addam, non est, nisi, abesse a *Cod. nostro Prooemium, et ultimum de duobus Tauris Apologum, quae in suo Exemplo reperit Corderius, elocutionem praeterea in utroque Cod. non raro differre, ut ex contentione patuit.*

III. *fol. 95. Incipit Tractatus de potestate ecclesiastica Magistri Johannis Gerson.* Prout extat *Opp. T. II. col. 225.*

IV. *fol. 109. p. 2. Incipit alius tractatus de nocturnis pollutionibus. Item de frequentatione sacramenti seu celebratione missarum.* Prout extat *Opp. T. III. col. 323.*

V. *fol. 115. p. 2. Instructio de visitatione cleri magistri Johannis de gersona.* Prout extat *Opp. T. II. col. 558.*

VI. *fol. 119. p. 2. Incipit tractatus de confessione.* Initium: *Quoniam*

Quoniam fundamentum et ianua &c. ut Cod. XC. ubi Bonaventurae tributum invenies.

VII. fol. 132. Incipit Tractatus dyalogus rationis et conscientie de eucharistie sumptione. Initium: Multorum tam clericorum quam laycorum &c. Adi Cod. DCXXXVII. ubi Matthaeo de Cracovia adscriptum invenies.

VIII. fol. 142. p. 2. Incipit tractatus siue epistola de discretione habenda in raro uel cottidie celebrando missas. Initium: Quem admodum in quorundam domibus nobilium nomina eorum &c. Cod. jam XC. recensitus, ubi pariter Matthaei de Cracovia nomen praefert.

IX. fol. 149. Incipit Tractatus de contractibus magistri Johannis Gerson. Initium: Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum &c. Extat T. III. Opp. col. 165.

X. fol. 164. Sequitur tractatus de contractibus de iugo laborum originali magistri Heinrichi de Hassia. Initium: In sudore vultus tui &c. Duabus in Capita divisus constat Partibus, quarum Index ad calcem adtextus est. Jam indicatus alibi.

XI. fol. 204. Sequitur Epistola (Ejusdem) de contractibus emptionis et vendicionis ad consules vienn. Etiam hanc Epistolam recensuimus.

XII. fol. 225. Incipit liber soliloquiorum sancti Augustini episcopi. Initium: Agnoscam te domine cognitor meus &c. Opusculum in XXXI. Capita divisum et finiens: Omnis clementia sit deo

patri et filio et spiritui sancto Amen, non est Augustini, sed ex ejus, Hugonis Victorini et aliorum sententiis compilatum, unde et Mauriani editores illud in Appendicem T. VI. Paris. 1685. ad col. 85. rejecere.

XIII. fol. 242. Incipit soliloquium beati Bernardi abbatis. Initium: O Cor meum rogo te ne sis cor fatui &c. Finis: ut minime ab eius voluntate deues per infinita secula seculorum amen. Editum olim a Jac. Gretsero, et nunc merito inter Bernardi Spuria reputatum extat edit. Paris. 1690. f. T. V. col. 787.

XIV. fol. 246. p. 2. Incipit formula honeste vite sancti Bernardi. Sic: Petis a me frater carissime quod nunquam et nusquam &c. Formula haec jam Sec. XV. typis vulgata in edit. mox citata pone sequitur Soliloquium, et jam alibi indicata est, sed in praesenti versus finem multum abit ab impressa.

XV. fol. 248. Sequitur decretum super quibusdam contractibus siue concessionibus. Ad Martinum V. Pontificem delata erat quaestio, utrum licite quis pecunia indigens possit vendere reditus seu census aliquos bonis suis inhaerentes, et eos deinceps eodem pretio redimere, conditione hac in ipso Contractu expressa, qui mos per Germaniam, ut adparet, inoleverat. Martinus rem expendendam Gwilerino (Guilermo Philasterio s. Filastro Gallo) sancti Marci Presb. Cardinali commisit, cujus iudicium

contractui favens praesentis Syntagmatis initium facit his verbis: *In quibusdam partibus mos est antiquus &c.* Subscriptum: *Reuerendissimus in christo pater et dominus Dominus Gwilerinus tunc sancti marci presbiter Cardinalis a domino nostro papa martino Quinto requisitus ut in hac materia de usuris scriberet et de questione predicta suam diceret opinionem De ipsa respondit et premissa scripsit ut superius annotantur.* Sequitur dein Martini Epistola: *Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznen. et lubiccen ac Olom. Episcopis &c. data Rome aput sanctos apostolos VI^o. Non. Julij. pontificatus Anno VIII. (1425) cui inserta est Constitutio ex mente Gwilerini de Censibus, quae incipit: Regimen uniuersalis ecclesie &c. et data est eodem die et anno, non tamen in Bullario Rom. a me inventa.*

XVI. fol. 250. p. 2. *Secuntur 13. propositiones de unitate et reformatione ecclesie.* Initium: *Ecclesiastica unitas ad unum caput christum &c.* Opp. T. II. col. 171. dicuntur praedicatae in Concilio Generali Constant. per Magistrum Job. de Gerson, et aliter diuisae XII. censentur.

XVII. fol. 251. *Sequitur quaedam auisacio Cancell. ad Episcopum.* Opp. T. II. col. 415. inscribitur: *Epistola ad quendam Episcopum super Moderatione casuum referuandorum in Foro, et incipit: Pontificali dignitati suus qualiscunque zelator &c.* Integra in Cod. ut in Edit.

XVIII. fol. 252. absque inscriptione *Sermo Job. Gersonis in Concilio Rbemensis, ut Opp. T. II. col. 542. et nobis alias.* Initium: *Ego sum pastor bonus &c.*

XIX. fol. 261. *Alius ejusdem Sermo, qui incipit: Estimo me beatum aput te O sacrosanctum Constantiense Concilium &c. et T. II. Opp. col. 330. inscribitur: De erroribus contra fidem et mores circa Praeceptum: Non Occides.*

XX. fol. 265. p. 2. *Alius ejusdem Sermo T. II. Opp. col. 338. inscriptus: Contra Assertiones M. Johannis Parvi circa Praeceptum: Non Occides.* Incipit: *Oportet hereses esse &c. et jam indicatus est alibi.*

XXI. fol. 272. p. 2. *Sermo Cancellarij parisiensis quando Rex Romanorum iuerat a constantia ad regem Arragonum et ad petrum de luna pro unione ecclesie procuranda.* Initium: *Prosperum iter faciet vobis &c.* Ut Opp. T. II. col. 273. et nobis pluries.

XXII. fol. 276. p. 2. *Sequitur declaratio pulchra Cancellarij parisiensis que veritates de necessitate salutis sint credende et que sapiant heresim.* Initium: *Declaratio compendiosa que veritates &c.* Extat Opp. T. I. col. 22. et nobis repetitis vicibus, ut Index commonstrat.

XXIII. fol. 279. p. 2. *Sequitur Sermo Cancellary parisiensis de natiuitate marie virginis predicatus in Concilio Constant. in illud: Jacob genuit Joseph &c.* Initium:

tium: *Invocandam te iudicamus in primis &c.* Legitur T. III. *Opp. col.* 1345.

XXIV. *fol.* 285. p. 2. *Sequitur alius sermo Canc. parisiens. factus anno 1415. quando fuerunt processiones Concilii generalis. Sermonem hunc neque in edit. Opp. neque in Collectione Hardtiana reperio; Extat autem in Collect. Concill. Labb. edit. Venet. T. XVI. col.* 1317. et nobis *Cod. DCCCCLXIX.* Incipit vero: *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos existimate. Precor verbum hoc obsecrationis saluberrime humilis et pie non meum esse verbum, parum enim ex me haberet ponderis et auctoritatis. Accipite potius illud tamquam ab ecclesiarum principe petro sicut vere est enunciatum &c.* Dotes Orationis proficuae per decursum exponit Vir doctus et pius, tempore usus; ait enim: *Oportet semper orare et non deficere precipue tamen in hac hora et die, dum ad hoc ipsum factus est conuentus iste sacratissimus, hec deuotissima processio, hec sacrosancte synodi peculiaris quedam collectio cum pro nostris omnibus incommodis subleuandis, tum specialiter ut dirigat deus legatos huius sacri concilii ad dominum nostrum destinatos ut uiuentes redeant cum exultatione portantes responsionis optate manipulos &c.* Finis est: *Hec est enim gratia in christo ihesu qui est deus Benedictus in secula Amen.* Legatos memoratos ad *Jobannem XXIII.* post ejus fugam missos fuisse mihi persuadeo, cum ad

Benedictum XIII. ipsemet Imperator profectus sit.

XXV. *fol.* 289. *Sequitur sermo de sancto francisco domini Petri Cardinalis Cameracen. in illud: Quicumque hanc regulam secuti fuerint &c.* Initium: *Verba hec Reuerendi patres et in christo fratres karissimi verba sunt apostoli pauli &c.* Sermo hic, in quo *Petrus de Alliaco* strenue reformationem Ecclesiae in capite et membris urget, legitur ultimus in *Collectione Tract. et Sermorum* ejusdem edita *Argentine* 1490. f. ubi additur, habitum fuisse *Parisis* 1382. Sed ignoravit Editor ea, quae in *Cod. nostro* sequuntur hujus tenoris: *Ad christi laudem et suae evangelicae regule sectatorum et specialiter beatissimi francisci aliorumque sanctorum patrum qui conformiter ad christi regulam Religiosos ordines fundauerunt sermonem super uerbis apostoli Quicumque hanc regulam secuti fuerint pax super illos, dudum circa perniciem scismatis coram alma uniuersitate studij parisiensis edidimus, quem nunc in hoc sacro constant. Concilio ubi de prefati pestiferi scismatis reformatione in capite et in membris domino inspirante agendum est, denuo publicare decreuimus. Et postquam enumerasset ea, quae in suo de Reformatione Ecclesiae tractatu in hanc rem scripsisset, pergit: sed proch dolor, unde pacis ac pacifice reformationis spes haberi debuerat, Ecce maior inde orta est turbacio. Nam cum ibi de reformandis circa religiones et religiosos tractaretur*

2175

C O D I C E S

2176

ad primum verbum — multi ex eis implacabiliter turbati sunt Et vnus pre multis ac inter alios magnus Reuerendusque magister (Joh. de Falkenberga O. P.?) Coram hoc sacro Constan. concilio hac occasione vt a multis creditur sermonem assumpsit. In quo truncata diuini apostoli pauli verba recepit pro Themate a dextris et a sinistris, truncauit nimirum et tacuit per arma iusticie. Iuste quidem quia non per arma iusticie sed per verba iniurie a dextris et a sinistris Statum ecclesiasticorum prelatorum inuasit &c. Contra hunc igitur et huiusmodi graviter insurgens inter alia dictum etiam cuiusdam Religiosi in Concilio sparsum affert: Quod contra clerum ecclesiasticum tale semen in populo seminaret, quod in eternum illud eradicare non valerent; et finit: In qua litera (Univ. Paris.) ultimata est petitio ut etiam error Iohannis parvi refutatus parisius per 140 doctores baccalarios et licenciatos in theologia condempnetur eciam constantie.

XXVI. fol. 295. sine titulo Sermo de omnibus Sanctis in illud: Signum magnum apparuit in celo &c. Initium: Hec mulier que in verbis propositis tamquam signum magnum in celo apparuisse dicitur et celestibus insignijs ornata describitur — sanctam ecclesiam triumphantem congrue signat &c. Ex decursu liquet Sermonem hunc in Synodo Constantiae habitum fuisse, cumque hic inter duos Petri de Alliaco Sermones medius sit, quidni illum huic eidem Petro tri-

buamus, quamvis binis de eadem Celebritate in edit. *Argentin.* supracitata non adnumeretur. Confirmat id *Cod. DCCCCLXIX.*

XXVII. fol. 300. p. 2. Sermo, ut ex calce praeoccupo, domini petri cameracens. qui est factus ad honorem sancti Iodwici filij regis sicilie (Caroli II. Claudi) qui fuit frater minorum et pontifex ecclesie. Incipit: Euge serue bone &c. Ad laudem sancti et beatissimi confessoris atque pontificis Iodowici &c. et habetur in edit. *Argentin.* suprac. ubi dicitur factus in concilio generali habito constantie Anno domini. *M. CCCCXVII.*

XXVIII. fol. 305. p. 2. Notanda quaedam de Dilectione Dei et Proximi, pro sacris dictionibus, in quibus citatur *M. Henricus de Hassia.*

XXIX. fol. 307. Notanda familia de sacra Caena, ubi agitur de Praeparatione, de quadruplici modo manducandi, de modo se preparandi et disponendi digne ad communionem &c. Initium: Bernbardus in sermone de corpore christi dicit, quod homo cum in honore esset &c.

XXX. fol. 235. Similia de doloribus et gaudiis B. V. Mariae. In illud: Stabat autem iuxta crucem &c. Et: Gaudere autem oportebat, quia hic filius mortuus erat et reuixit. &c.

DLXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 432
XV. Folior. 235. 4. corrente calamo